



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

XIX. Ne laici imponant ecclesiis onera.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

ANNO
CHRISTI
1179.

petens aliquod beneficium assignetur, quo docentis necessitas subleuetur, & discipulis via pateat ad doctrinam. In aliis quoque restituatur ecclesiis siue monasteriis, si retroactis temporibus aliquid in eis ad hoc fuerit deputatum. Pro licentia vero docendi nullus precium exigat, vel sub obtentu alicuius consuetudinis, ab iis qui docent, aliquid quærat: nec docere quempiam, petita licentia, qui sit idoneus, interdicat. Qui vero contra hoc venire præsumpserit, a beneficio ecclesiastico fiat alienus. Dignum quidem esse videtur, vt in ecclesia Dei fructum laboris sui non habeat, qui cupiditate animi vendit licentiam docendi * ecclesiarum profectum nititur impedire.

XIX.

Non minus pro peccato eorum qui faciunt, quam pro illorum detrimento, qui sustinent, graue nimis esse dignoscitur, quod in diuersis partibus mundi rectores, & consules ciuitatum, nec non & alii qui potestatem habere videntur, tot ecclesiis frequenter onera imponunt, & ita grauibus eas crebrisque exactionibus premunt, vt deterioris conditionis factum sub eis sacerdotium videatur, quam sub Pharaone fuerit, qui diuinæ legis notitiam non habebat. Ille quidem, omnibus aliis seruituti subiectis, sacerdotes suos, & eorum possessiones in pristina libertate dimisit, & de publico eis alimoniam ministravit. Isti vero vniuersa fere onera sua imponunt ecclesiis, & tot angariis eas affligunt, vt illud eis, quod Ieremias deplorat, competere videatur: *Princeps prouinciarum facta est sub* Thron. 1.

Gen. 47.

tributo. Siue quidam fossata, siue expeditiones, siue quælibet alia sibi arbitrentur agenda, de bonis ecclesiarum, clericorum, & pauperum Christi vsibus deputatis cuncta volunt fere * compilari. Iurisdictionem etiam & auctoritatem episcoporum, & aliorum prælatorum ita euacuant, vt nihil potestatis eis in suis videatur hominibus remansisse. Super quo dolendum est pro ecclesiis: dolendum etiam nihilo minus & pro ipsis, qui timorem Dei & ecclesiastici ordinis reuerentiam videntur penitus abieciſſe. Quocirca sub anathematis diſtinctione ſeuerius prohibemus, ne de cetero talia præſumant attentare, niſi episcopus & clerus tantam neceſſitatem, vel vtilitatem aſpexerint, * vt abſque vlla coactione, ad releuandas communes * neceſſitates, vbi laicorum non ſuppent facultates, ſubſidia per eccleſias exiſtiment conferenda. Si autem conſules, aut alii de cetero id præſumpſerint, & comoniti deſiſtere forte noluerint, tam ipſi, quam eorum fautores excommunicationi ſe nouerint ſubiacere: nec communioni fidelium reddantur, niſi ſatiſfactionem fecerint competentem.

X X.

Concilium
Lateranen-
ſe ſub Inno-
centio II.
Canon. 14.

Felicis memoriae papæ Innocentii, & Eugenii prædeceſſorum noſtrorum veſtigijs inhærentes, deteſtabiles illas nundinas vel ferias, quas vulgo torneamenta vocant, in quibus milites ex condicto venire ſolent, & ad oſtentionem virium ſuarum & audaciæ temere congregiuntur, vnde mortes hominum & animarum pericula ſæpe proueniunt, fieri prohibemus. Quod ſi quis eorum ibidem mortuus

fue-